FERRUZZIORUM FRATRUM ALOIS. CHRYSOSTOMI ET MICHAËLIS DE FRANCISCO...

Luigi Crisostomo Ferrucci,
Michele Ferruzzi

FRANCISCO BERTAZZOLIO
CARDINALI
ARCHIEPISCOPO EDESSENORVM

FERRVZZII FRATRES

ALOIS. CHRYSOSTOMVS ET MICHAËL

Vt primum, Vir Eminentissime, litteris nunciisque et omnium voce percrebuit, Te in collegium augustum Patrum Cardinalium fuisse relatum, nemo fuit qui non magnam animo laetitiam acciperet, nec splendidissimum Romanae Ecclesiae decus accessisse fateretur. Videbant quippe maturo Pontificis Maximi consilio id honoris ad Te deferri, quod jamdiu promeritis debebatur tuis, et optimi cujusque fuerat votis expetitum. Ecquis ignorat quot pro religionis sanctissimae incrementis labores exantlaveris? qua fide, constantia, fortitudine D. N. Pio vii. aerumnarum

socius et particeps per eos annos adfueris, quibus Christiana respublica tanto discrimine est perfuncta, ut pristinum dignitatis splendorem penitus amissura videretur? At vero majorem in modum gavisi sunt, Teque ad caelum verissimis ac justissimis laudibus extulerunt Lucenses tui, quorum bene multi tuis concionibus exemplisque jam conformati, atque ad omnigenae pietatis officia obeunda adducti, quum hic apud illos versatus hujusce honoris fastigio eximie praeluseris. Quae civium in Te voluntas magis magisque eminuit quo die omnipotenti Deo gratias pro immortali beneficio publice peractae sunt, et hilaritatis signa ubique prodita: miram omnes in vultu laetitiam praeseferre cognovisses. Nobis vero, qui latinas litteras fraterna concordia et conspiratione jam inde a pueritia pro viribus excolimus, demandatum fuit, ut communis omnium officii interpretes quodammodo essemus. Itaque inscriptiones confecimus, quarum aliae conspectissimis locis proponendae populares hospitesque de festi apparatus ratione et caussa admonerent, aliae marmori incidendae testatum posteris civitatis universae in Te studium transmitterent. Quae quidem inscriptiones quum non omnes in vulgus sint emissae, et a nonnullis efflagitentur, consilium cepimus simul omnes colligere, Tibique, Cardinalis amplissime, quem unum eae spectant, nuncupare. Cui consilio eo fidentius animum adjecimus, quod superioribus diebus Antonius Bertazzolius Canonicus fratris tui filius, domesticae laudi haud impar, nobiscum litteras tuas communicavit, in quibus cum inscriptiones, quas in libellum Tibi a Curatoribus municipii honoris caussa oblatum conjeceramus, nimia quadam benevolentia erga nos tua commendas, tum ut toto pectore in id studium incumbamus, in quo sumus, singularibus nos verbis cohortaris. Quapropter minime dubitamus, quin has quoque eadem benignitate, qua priores illas, sis excepturus. Eas itaque Tibi et deferimus et inscribimus nihil severiorum hominum judicium veriti, qui nobis fortasse succensere volent, quod nugas hujusmodi ab amplitudine dignitatis tuae quamplurimum abhorrentes Tibi dedicare audeamus. Tu nos ipse ab istorum accusationibus auctoritate tui nominis tutabere. Qua opinione ne decipiamur Te vehementissime rogamus.

1. (decretum xxxvI. virum Decurionum urbis)

III . NONAS . APRIL .
ANNO . M . DCCC . XXIII .
LVCI . IN . AEMILIA . PATRES . IN . CVRIA . FREQVENTE
QVVM . ADFVISSENT . VERBAQVE . FACTA . ESSENT
AD . HVIVSCE . ORDINIS . NOMEN . PROVIDENTIAMQ
PERTINERE . VT . CIVI . CLARISSIMO . FRANCISCO
BERTAZZOLIO . IN . SENATVM . PATRVM
PVRPVRATORVM . RECEPTO . HONORES . PVBLICE
DECERNANTVR . ET . QVOD . OMNIVM . ANIMOS . EX
FAVSTISSIMO . EVENTV . GAVDIVM . TENET . ILLVD
PALAM . QVAM . MAXIME . OSTENDATVR . PERROGATIONE
FACTA . DE . EA . RE . ITA CENSVERVNT
QVVM . V . E . FRANCISCVS . BERTAZZOLIVS . AB
IPSA . IVVENTVTE . DOCTRINA . ET . RECTEFACTIS
PRAESTANS . DOCTORIS . THEOLOGI . INSIGNIBVS
RELATIS . INTER . CANONICOS . COLLEGII
PETRONIANI . APVD . NOS . FVERIT . ADLECTVS
ET . RELIGIONE . CONCIONIBVS . SCRIPTIS . EDITIS
NAVITER . ADSERTA . SE . AD . GRANDIA . QVAEQVE
PROGNATVM . INDE . VSQVE . PORTENDERIT
QVVMQ . IDEM . APVD . D . N . PIVM . VII . PONT.
MAX . EA . IN . LAVDE . GRATIAQVE . PERPETVO
FVERIT . VT . A . PRINCIPE . BEATISSIMO . DIGNVS
HABITVS . SIT . QVEM . ANNO . M . DCCC . IIII.
ARCHIEPISCOPVM . EDESSENORVM . ET . ANTISTITEM
DOMVS . RENVNCIATVM . ROMAM . QVE . AD . SE
ACCITVM . PECVNIAE . EX . AERARIO . EGENTIBVS
DIRIBENDAE . PRAEFICERET . ET . IN . NVMERVM
CANONICORVM . BASILICAE . LIBERIANAE
COOPTARET . SIBIQVE . POSTEA . IN . GALLIIS

EXSVLANTI . COMITEM . LABORVM . VIARVMQ.
SINGVLARI . AMORIS . SIGNIFICATIONE . ADSCISCERET
ET . NOVISSIME . SACRAE . PVRPVRAE . DIGNITATE
VOLENS . LIBENS . INSIGNIRET

PLACERE . VNIVERSIS . VT . POSTQVAM . TANTO . VIRO
PATRIAM . NOVO . DECORE . HONESTANTI
ADCLAMATVM . EST . FESTVS . DIES . INDICATVR
QVO . LARGITORI . BONORVM . DEO . GRATIIS . RITE
PERSOLVTIS . LVDI . AD . PVBLICAM . HILARITATEM
CONSTITVANTVR . EX . CONSILIO . V . VIRVM
MVNICIPII . SCVTATIS . N . D . AD . IMPENSAS
ADTRIBVTIS

VTIQVE . EFFICIES . EIVS . ICONICA . IN . CVRIA
DEDICETVR . ET . INSCRIPTIO . MARMORI . INCISA
SPECTATISSIMO . IN . LOCO . PROSTET . QVAE
POSTEROS . VOLVNTATEM . NOSTRAM . ERGA . CIVEM
EMINENTISSIMVM . IN . OMNE . AEVVM
EDOCEAT . CENSVERVNT

II. (edictum Praesidis Ordinis)

QVOD . BONVM . SINGVLIS . AVSPICATVMQ. SIT

III . EID . APRIL . AN . M . DCCC . XXIII .

QVANDOQVIDEM . PERIVCVNDVS . ROMA . NVNCIVS MENSE . CONDITO . ADVENIT . CIVITATIS NOSTRAE . ORNAMENTVM . AC . LVMEN FRANCISCVM . BERTAZZOLIVM . ARCHIEPISCOPVM EDESSENORVM . EVNDEMQ . PII . VII . PONT . MAX . PRINCIPIS . PROVIDENTISSIMI . IAMDIV . A LARGITIONIBVS . IN . EGENOS . INTER . PP. CARDD . ADNVMERATVM . FVISSE

ACCIPITE . CIVES . QVAE . AD . COMMVNE . GAVDIVM TANTAE . FAVSTITATIS . ERGO . PRODENDVM DECVRIONES . VRBIS . III . NON . APRIL . IN CONSILIVM . QVVM . CONVENISSENT . PRONA VOLVNTATE . SANXERVNT

XIII . KAL . MAIAS . HORA . NOCTIS . PRIMA . PRAELVDIVM DIEI . FESTI . AERA . TVRRIS . AEDIVM . PVBLICARVM TEMPLORVM . QVE . OMNIVM . SONANT . ITEMQ. STREPITVS . FISTVLARVM . IGNEARVM . FREQVENS

XII . KAL . EASDEM . SVB . AVRORAM . STREPITV FISTVLARVM . IGNEARVM . PRAEEVNTE . AERA ITERVM . PVLSANTVR

HORA . ANTE . MERIDIEM . ALTERA . PROCESSVS SPLENDIDISSIMI . ORDINIS . COHORTE . MILITVM STIPANTE . AD . TEMPLVM . FRANCISCI . ASISINATIS FESTO . ORNATV . RENIDENS

EXINDE . IBIDEM . SACRVM . SOLLEMNE . ET CARMEN . EVCHARISTICVM . DECANTANTVR . MAGNO MVSICORVM . CONCENTV . VIRGINIBVS . OCTO DOS . SORTITO . CONSTITVITVR

ANTE . OCCASVM . SOLIS . CVRSVS . EQVORVM INFRENIVM . VIA . LIMITARI . QVI . EX . EQVIS . PRIOR METAM . ATTIGERIT . HVIC . PRAEMIVM . ESTO SCVTAT . N . XX . ALTERI . SCVTAT . N. X.

SVB . NOCTEM . VIAE . DOMVSQ . AB . AEDIBVS PVBLICIS . INITIO . DVCTO . FACIBVS . CEREISQ. QVAQVAVERSVS . PRO . CVIVSQVE . FACVLTATE COLLVSTRANTVR . IGNES . LVDICRI . FORO NVNDINARIO . INCENDVNTVR . CREBRIS SYMPHONIACORVM . NVMERIS . POPVLI HILARITATEM . AVGENTIBVS

AGITE . CIVES . ADCLAMATE . ITERATIS . VOCIBVS CIVI . PRAESTANTISSIMO . PRIMO . OMNIVM AMPLISSIMVM . HONOREM . IN . PATRIAM ADFERENTI . TVRBIS . QVE . AMOTIS . EXEMPLO CONVENIS . ESTOTE . ALACRITATI . MODVM ADHIBENDVM

nI. (in aedibus publicis)

PIO · VII · PONTIFICI · MAXIMO

PARENTI · VRBIS · PARENTI · PATRIAE

ANNO M. DCCC. XXIII.

QVOD

FRANCISCVM · BERTAZZOLIVM

SACRI PRINCIPATVS XXIIII.

ARCHIEP · EDESSENOR ·

QVEM · PER · MAGNAS · VICISSITVDINES · RERVM

SOLATOREM · HABVIT · COMITEMQ · ITINERVM

INSIGNIBVS · ERGA · SE · MERITIS

INTER · PATRES · CARDINALES · ADLEGERIT

ORDO · LVCENSIS

PRINCIPI · OPTIMO · INDVLGENTISSIMO

CONSTITVTORI · CIVITATIS

AMPLIFICATORI · DECORVM · SVORVM

562

x

IIII. (in sacrario templi max. sub imag.)

FRANCISCO · BERTAZZOLIO

ARCHIEP · EDESSENOR ·

QVEM · PIVS · VII · P · M ·

QVVM · SIBI · A · SACRIS · LARGITIONIBVS · ESSET

OB · INSIGNIA · VIRTVTVM · MERITA

INTER · PP · CARDD · ADSCIVIT

HYACINTHVS · ROSSIVS · CAN ·

CIVI · OPTIMO · COLLEGAE · VETERI

QVOD · PATRIAM

ET · CANONICOS · TEMPLI · PETRONIANI

QVORVM · IN · NVMERVM

COOPTATVS · ALIQVANDIV · FVIT

AMPLISSIMAE · DIGNITATIS · SPLENDORE

NOBILITAVERIT

v. (sub protome Pii vii.)

HONORI

PII · VII · PONT · MAX ·

QVOD · AD · SIGNIFICATIONEM

CONSTANTIS · VOLVNTATIS

ERGA · LVCENSES · SVOS

MVNICIPIO · EORVM

IAM · AB · ANNO · M · DCCC · XVII ·

CIVITATIS · IVRE · AC · NOMINE · EXORNATO

HOC · ETIAM · CONTVLERIT

VT · FRANCISCVM · BERTAZZOLIVM

CIVEM · MAXIMVM

PATRIBVS · CARDD · ADSCRIBERET

ANNO · M · DCCC · XXIII ·

ORDO · ET · POPVLVS

DOMINO · BENEFICENTISSIMO

vI. (pro foribus templi Francisci Asisinatis)

CONVENITE · CIVES · ADVENAE · QVE

DEO · IMMORTALI

GRATIAS · LAETI · LVBENTES · ACTVRI

QVOD

A · PIO · VII · PONTIFICE · MAXIMO

FRANCISCVS · BERTAZZOLIVS

ARCHIEPISCOPVS · EDESSENORVM

ROMANA · PVRPVRA

INSIGNIVM · IN · ECCLESIAM · MERITORVM · PRAEMIO

AD · OMNIVM · ORDINVM · VOTA · EXORNATVS

PATRIAM · DIGNITATEM · PRAECLARO · DECORE

CVMVLAVERIT

vıI. (pro forib. asceterii sodalium Onuphrianor.)

DEO · MAGNO · SOSPITATORI

SODALES · ONVPHRIANI

GRATIAS · ALACRI · ANIMO · PERAGIMVS

QVOD

NVMINE · EIVS · PROPITIO

D · N · PIVS · VII · PONT · MAX ·

FRANCISCVM · BERTAZZOLIVM

ARCHIEPISCOPVM · EDESSENORVM

PATRIAE · NVMERI · QVE · NOSTRI · DECVS

AD · SACRAE · PVRPVRAE · HONOREM

EVEXERIT

566

viiI. (in asceterio ipso)

IMAGO · ICONICA

FRANCISCI · BERTAZZOLII · CARD ·

TIT · MARIA · VICO · MINERVA

E · NVMERO · SODAL · ONVPHRIANOR · LVC·

EFFICTA · AN · M̄ · D̄C̄C̄C̄ · X̄X̄ĪIĪ ·

ALEXANDRO · CORTESIO · VINCENTIO · MELANDRIO

MAGG · SODALIVM · EORVMDEM

viiiI. (noctu pro aedib. Ferruzziorum)

FRANCISCO · BERTAZZOLIO

PRIMO · E · CIVIBVS

INTER · PATRES · CARDD ·

COOPTATO

VRBS · FERIATA

NOCTVRNIS · LVCET · IGNIBVS

x. (sub imagine)

FRANCISCI . TABVLA . HAEC . PICTA . SVB . IMAGINE . VVLTVM

NON . MERITA . ATQVE . VIRI . GRANDIA . FACTA . REFERT

xI. (sub imagine)

EVGE · O · PARENS · PVBLICE
MAGNE · FRANCISCE · CARDINALIS
EVGE · IVBAR · EGREGIAE · DOMVS · ET · PATRIAE
MVNICIPES · TVI · NOS · SVMVS
ET · ESSE · GAVDEMVS
TVAM · NOS · VIRTVTEM · SAPIENTIAM · QVE
ET · AVITAE · RELIGIONIS · STVDIVM
PLERIQVE · IAM · AGNOVIMVS · SVSPEXIMVS
QVVM · HEIC · INTER · TVOS · PRIVATVS · AGERES
HEIC · QVOQVE · BONORVM · DELICIAE · ET · GLORIA
AT · QVANTO · INLVSTRIOR
POSTQVAM · TE · ROMA · EXCEPIT
SINE · MODO · COMMVNIS · AVCTOR · LAETITIAE
TIBI · DE · HONORE · MERITIS · PARTO
LIBENTISSIMIS · ANIMIS · GRATVLATI
NVMINI · AETERNO · ENIXE · SVPPLICEMVS
VTI · AD · MAIORA
CATHOLICAE · ECCLESIAE · BONO · TE · PROVEHAT

FRANCISCO · BERTAZZOLIO

DOMO · LVCO · IN · AEMILIA

ARCHIEPISCOPO · EDESSENORVM

INTIMO · QVI · FVIT · A · LARGITIONIBVS · PII · VII · P · M ·

QVEM

PRINCEPS · OPTIMVS

OB · MERITA · ET · VIRTVTES · CLARISSIMAS

PRONA · VOLVNTATE · CARDINALEM · DIXIT

VI · IDVS · MARTIAS · ANNI · M · DCCC · XXIII.

PETRVS · ZACCARVS · LVC ·

PRIMVS · MEDICORVM · VRBINATIVM

CIVI · EMINENTISSIMO

PATRIAM · ET · SVOS

SACRAE · PVRPVRAE · SPLENDORE

PRIMITVS · COLLVSTRANTI

DIGNITATEM · A · SVMMO · PONTIFICATV · MAXIMAM

FAVSTIS · OMINIBVS

GRATVLATVR